

Q. D. B. V. ~~XXXV.~~
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO
FRIDERICO AVGVSTO,
POSITIONES QVASDAM
DE
FINE, MEDIIS, ET
SPECIATIM SIGNO,

^{ex}
METAPHYS. DIVINA
PRAESIDE
GEORG. FRID. SCHROEERO,
SS. Theol. Do&t. Prof. Publ. & Ele&t.
Alumn. Ephoro,

publice defendet

Ad Diem Jul. cL D CCXVII.

M. HERMANNUS BORDEWISCH,
Gedanensis.

VITEMBERGAE AD ALBIM
PRELO SCHROEDERIANO ACAD. TYP.

~~82.~~
~~84.~~

Coll. diss. A
108, 46

a. CVIII. 46.

LEADER OF THE
LITERATURE OF
THE ENGLISH LANGUAGE

THE HISTORY OF THE ENGLISH LANGUAGE

BY
GEORGE LEE
22. EDITION
ALSO
WITH A HISTORY OF
GERMANIC LITERATURE
BY
M. HERMANN BORDEAUX



PERFO SCHRODERIANO ACTIO

XXX.

Thef. I.

Doctrina de finis intentione,
consequutione & divisione
valde utilis est Theologo.

Ex. 95015.

§. 1.

Reformati, qui dicuntur Supralapsarii, statuunt, Deum primo decrevisse reprobationem, & deinceps creationem, cuius finem, quem dicunt condemnationem, ultimū putant esse in executione, & idcirco primum in intentione. Reprobatio, voluntatis DEI consequentis actus, non potest in intentione esse prior incredulitate, quam necessario supponit, finali, quae causa sua deficiente, homine nimirum à Deo condito, est posterior. Recte dicit Seldius, in *Topica Calviniana*, loc. 5. clas. 1. regul. 1. §. 333. Deo immutabili, sanctissimo, justissimo & veracissimo nullum decretum, sive intentio, vel decreti executio tribuenda est, nisi quae consentanea est absolutissimae ejus immutabilitati. Si Deus reprobationis decrevit media, decrevit quoque incredulitatem, quod cum Sanctitate Dei pugnare, probarunt Auctores, quos allegavit Seldius.

§. 2. Causa non semper consequitur finem, cuius consequendi gratia operatur. Deus toti mundo dedit suum Filium, ut crederent omnes, & Deus vocat omnes, ut gallinae instar omnes & singulos congregaret; tenebrae autem non capiunt lucem, ac Judaei sper-

A

nunt

nunt mundi Redemptorem. *Omnibus vero, in
aeterno decreto, & in ipsa creatione, intendisse
Deum finem sub conditione obedientiae, quam
non praestituri erant, à Deo alienum esse, putat
Wendelinus, Exercit. 24. p. 5. quia sapientiae
ejus adversatur & potentiae, frustrari suo fi-
ne, quodcumque tandem impedimentum exter-
num interveniat. Hinc ex defectu, ait, omni-
scientiae & omnipotentiae homines saepe fi-
nem intendunt conditionalem, quem non inten-
derent, si de futuris eventibus certi essent, eos-
que in sua potestate haberent. Deus creavit
primum hominem cum imagine divina, quam
salvam integrumque conservare, & ad poste-
ros propagare debuit, neminem autem eo
creavit fine, ut condemnaretur. Fine fru-
strari propter defectum, speciatim ob impo-
tentiam & ignorantiam, non convenit causae
perfectissimae; at ideo frustrari fine, quia ma-
litia hominum voluntati Dei resistibili repu-
gnat, & misericordiae divinae, perfectioni sim-
pliciter tali, cuius gloriam vita aeterna, volun-
tatis antecedentis finis, à Deo intenta, ampli-
ficat, obicem ponit, causae absolute perfectae
non repugnat.*

§. 3. In fine cuius reperiuntur duo,
quorum gratia causa operatur, unum est res,
quae finis objectivus, à *Thoma* finis cuius, & à
Comptono finis qui, nominatur; alterum est fi-
nis formalis, estque operatio circa finem objec-
tivum, sive circa suum objectum, vid. *Musaeus*
cap. 2. Introduct. in Theol. §. 7. p. 33. quam
causa

causa sua actione intendit, vocaturque à *Thoma*
aliisque, finis quo. *Domus* est finis architecti ob-
jectivus, & fruitio ejus finis formalis. Finis cu-
jus *Theologiæ* objectivus (non finis cui,) est De-
us, & formalis est Dei visio, quam *Arriaga*, *disp.*
8. Physica p. 414. minus recte dicit finem qui,
& unionem visionis istius cum intellectu finem
quo, quia illa unio est id, quo possidetur ipsa vi-
sio, quae ab isto finis dicitur qui. Non enim visio
unitur cum intellectu, sed objectum, quod vi-
detur, & unio cum intellectu ingreditur visi-
onem mentis. Visio non est res, sed actus circa
rem. Nobiscum sentit *Comptonus*, p. 295. quod
finis qui beatorum sit Deus, & finis quo sit
visio beata, per quam beati possident Deum.

§. 4. Operationis causalis, sive sit
naturalis, sive praeternaturalis, sive supra-
naturalis, speciatim vel physica, vel moralis,
terminus est consequutio rei, quae vel est rei
non existentis productio, cuius causa fi-
nis vocatur producendus, domus nempe,
finis architecti objectivus, est res ab illo produ-
cenda ; operatio Scripturae est propter
fidem, quam efficit, producendam ; vel est rei
existentis acquisitio, aut ejus applicatio, cu-
jus respectu, finis dicitur obtainendus ; iusti-
tia nempe, Christi merito comparata, & justi-
ficandis applicanda, est Verbi ac Baptismi finis
obtainendus ; vel est rei acquisitae ac possessae
conservatio, cuius causa finis nominatur con-
servandus, quem *Rudrauff.* p. 470. *Instit.*
Metaph. qua esse continuum finem vo-

eat faciendum. Quia continuatio non
gignit novam essentiam, sed conservat pro-
ductam, rectius statuit Musaeus, quod fini
obtinendo & efficiendo addendus sit conser-
vandus. Petimus à Deo, fidei, quam be-
nigne nobis concessit, conservationem; utimur
eibo & potu, ut vitam nostram salvam inte-
gramque conservemus.

§. 5. Finis operantis & ope-
ris est finis aut causae, quae opus efficit, aut
causae, quae opere utitur, respectu ejus est
bonum, quatenus est ratio, ut se efficiendi gra-
tia causa operetur. Deus ministerium instituit,
ecclesiasticum, cuius finis exponitur his
Christi verbis: Docete, baptizate, Matth. 28.
Respectu istius est bonum respectivum,
quatenus est ratio, ut se consequendi gratia
causa opus illud obtineat, eoque utatur. Ad-
discit Theologiae Cultor Theologiam, ejusque
habitu acquisito ita utitur, ut hominem pecca-
torem ad Deum adducat. Hic finis est ope-
ris Theologiae, quia finis est Theologiae au-
toris, & finis est ejus, qui per Theologiam
agit, hominemque convertit. Hic finis est
supernaturalis, rei nempe supernaturalis fi-
nis. Scripturae scilicet Sacrae, operis Spiri-
tus S. finis supernaturalis 2. naturalis e.gr.
Officium, Ars, habitus & aliae res naturales.
Deus ordinavit Magistratum, ut malos coiceret,
& bonos praemio remuneraret; creavit solem
ut terram suo splendore collustraret, diem-
que constitueret, & Medicinam paravit, ut &
sanit-

sanitatem hominum conservaret integrum, & amissam restauraret. 3. praeternaturalis. Abutitur enim saepe causa deficiens opere, ac, praeter naturae ordinem id tractat, ut finem, quem ejus non intendit auctor, consequatur. Diabolus, magiae auctor primus, & homines, cauae ejus secundae, abutuntur rebus naturalibus, ut noceant aliis, ac Dei imminuant gloriam. Dividitur operis & operantis finis supernaturalis, naturalis & praeternaturalis in finem α) internum, qui est bonum, in facultate operis, quod ejus est causa, ita positum, ut operantem vera operis tractatione illud consequi oporteat. Operatio Theologica, a Paulo 2. Timoth. 3. explicata, est in potestate Theologiae, quae a Deo propter istam operationem obtainendam constituta est, & qui Theologia recte utitur, obtinet illum à Deo ordinatum finem; Rex, qui suo officio recte fungitur, potest subditos regere ac gubernare, & homo, qui oculum, bene dispositum, recte applicat objecto, potest videre. Id igitur, quod operis actus est formalis, est ejus causae ac operantis finis. β) externum, estque bonum, per finem operis internum obtainendum, non autem in potestate ejus ita positum, ut operans, fine interno applicato, semper illud consequatur. Fidem & beatitudinem non semper conferit auditoribus Theologi operatio, ac Medicina non restaurat semper aegroto, cuius causa inventa est, sanitatem.

§. 6. Finis, tam operis, quam ope-

A 3 rantis,

Fantis, est vel naturalis, Bonum nempe, quatenus est ratio, ut operis natura per se sit causa se consequendi, & operans secundum naturalem operis conditionem operetur. Scripturae convenit Sacrae propter finem naturalem fidem gignere, hominesque salvare, & soli noctem à die distingvere. Finis arbitrarius autem est bonum, cuius consequendi ratio non est operis natura, sed operantis intentio. Theologiae polemicae finis non est humana, quam tamen multi intendunt Theologi gloria. Deus dedit Moysi ideo baculum, ut esset miracula edendi medium, qui baculi finis non erat naturalis, sed arbitrarius.

§. 7. Finis & operis & operantis vel est operatio, vel res producēda; vel operatio & res producenda simul Finis, cuius causa Deus nobis sensus concessit, est actio, quae fit per sensus Verbi divini, hominē illuminantis, finis sunt divina intelligentia, fides & salus aeterna; & finis Dei, ad orationem sacram Theologi concurrentis, sunt collustratio auditoris & illae res, quae collustrationē consequuntur spiritualem.

§. 8. Finis vel est per se, quia Dominato & aliis directus quoque dicitur, estque aut operis, quod perse, vel natura sua, est ratio, ut se consequendi gratia causa operetur; aut operantis, estq; bonum quatenus est ratio, ut se consequendi gratia causa per se sua actione intendat; aut utriusque, nempe bonum, quatenus per se est ratio, ut sui consecutionem causa per se & directe intendat, ejusque gratia operetur.

Finis

Finis per se Dei, creaturam conservantis, est e-
jus continuatio; Theologiae finis per se est
hominis peccatoris ad Deum perductio, &
Medicinae sanitas; vel est finis per accidens, qui
à quibusdam finis nominatur indirectus, estque
bonum, quatenus est ratio, ut sui consequenti-
onem causa per accidens & indirectly intendat,
& ejus gratia operetur, *Rudrauffius in Iustit. Me-*
rapb. dividit finem per se in finem per se rati-
one finis & in finem per se ratione mediorum.
Non approbo divisionem, non media, sed finem
explicaturus. *Bayerus, in Compend. Theol. c. 1.*
prolegom. §.4. statuit, finem Theologiae natura-
lis esse ultimum hominis beatitudinem, & red-
dere hominem inexcusabilem, eundemque
paulatim manuducere ad Theologiam spiritu-
alem esse finem per accidens. *Quenstedius au-*
tem, & alii, dicunt Finem Theologiae naturalis
per se intentum, & proprie esse manuctio-
nem ad ulteriorem Dei cognitionem, & ad in-
quirendum de coetu vero *Act. 17, 27.* finem
autem accidentarium esse *ἀναπολόγησιν Rom. 1, 20.* Non vero omne, quod rei accidit, est
finis ejus per accidens. Theologia naturalis
vel consideratur ut accidens, primo homini
concreatum, cuius finis per se ultimus ho-
minum fuit beatitudo, vel spectatur ut acci-
dens congenitum, cuius finis per se recte ex-
ponitur à *Quenstedio & aliis.* Theologiae,
optima primitiae parte amissa, convenit per
se naturalis ad ulteriorem Dei cognitionem
manuctio. Unus semper est operantis e-
jusque

jusque operationis finis, & unus est operan-
tis & operis finis per se, ordinate de jure &
ex natura rei. Propter bonum enim, quod
finis est, consequendum operatur causa.
Hinc si aliis finis est operantis, & aliis opera-
tionis, quidam finis est vel sine operatione, vel
sine operante. Hinc unus est Dei vocantis &
vocationis finis. In vocatione evangelica, ait Tur-
rettinus, part. 2. Theol. Elenct. loc. 15. q. 2. p. 549.
finis Dei est salus hominis, quia natura sua eo ten-
dit, ut per fidem & poenitentiam ad salutem
deducatur, sed non statim respectu omnium vo-
catorum est finis Dei, sed tantum eorum, quibus
Deus fidem & salutem dare decrevit. Ma-
restius, in notis ad Distinct. Castanaei p. 96. Finis
operis, ait, in Evangelii praeconio ad homines est
conversio & salus auditorum, finis operantis est
ut plurimum redargutio & inexcusabilitas re-
proborum. Si vocationis, non autem Dei finis
est salus omnium auditorum, est ista finis, quia
finis nominatur, & non est finis, quia non est
Dei vocantis finis. Unus est causae operis ef-
ficientis & operis finis per se. Causa operis ef-
ficiens intendit sua actione ejus naturam. Igitur
intendit quoque finem ex natura & per se operi
convenientem. Alius vero, ait Retorfort, in
disput. de Provid. divin. c. 18. assert. 4. p. 215.
est finis naturae creatae, seu opificii, & aliis
est finis Dei creantis. Sic finis naturae & crea-
tionis est, ut omne animal generet sibi simile,
ignes tendant sursum, imbres terram foecun-
dant, ferae homini inserviant; at vero in mul-
tis

etis individuis longe alius est Dei creantū finis.
Deus enim in quibusdam intendit, ut monstra
generentur, ut ignis deorsum ad consumendos
sodomitas tendat, imbres satā putredine exe-
dant, leones devorent peccatores, & à Danie-
le devorando etiam famelici abstineant; sed fi-
nis humani generis conditi, nempe finis operis
quem postulat natura opificii, rationalis crea-
turae est, ut homines Deo inservient, & cum eo
in aeternum beati viverent, at is non est finis
Dei, qui hominem labi permisit, & quidem
ex aeterno suo decreto, & nonnullos finaliter
desicere à Deo: quia Filii sui incarnationem &
declarationem justitiae suae, fines longe emi-
mentissimos, decrevit & intendit. R. 1. Finis per
se animalis est generare animal, monstri vero,
qua talis, productio est ejus, natura tantum
errante, & Deo permittente, finis per accidens.
2.) Ignis pro diverso causarum motu modo
ascendit, modo descendit. Ascendit ignis in cu-
lina, & fulgur descendit. Unus est finis per
se ignis ascendentis & Dei concurrentis, & u-
nus fuit fulguris, ignis descendenter ac Dei
sodomitas perdentis finis; disputatur vero de
diverso Dei & creaturae fine. 3. Imbres foecun-
dant per se terram, cui putredo convenit per
accidens. 4. Inserviunt bruta hominibus vi
legis divinae positivae; quando autem damna
illis inferunt, causa illorum nec est creatio
nec finis creatoris, sed peccatum, quod do-
minii vim infregit, ac justitia Dei punitiva. A

B

Danie-

Daniele abstinuerunt leones, qui cum fame
conflictati sunt, non secundum ordinarium na-
turae cursum, sed absoluta Dei virtute coacti.
Falsam Retorfortis opinionem de absoluto de-
creto, electionis & reprobationis causa, de
permissione activa, & de iustitiae divinae de-
claratione, refutarunt argumentis Theologi.
Qui sylvam, ait Maresius, conserit, intendit il-
lius excisionem cum tempore, arbores tamen non
crescunt eo fine, ut excidantur. R. Unus est cau-
sae, arborem plantantis, & arboris finis per se et
ex sua natura; combustio certarum arborum est
finis plantantis ultimus per se, qui arbori con-
venit per accidens. Lex moralis, ait Maccovius,
in Loc. commun. c. 31. p. 94. alium habet finem in
statu integratatis, altum in statu lapsus. In
statu integratatis finis legis moralis erat obedi-
entia, ut ex ea, praestanti eam, vita aeterna
obtingeret, at in statu lapsus finis ejus est vel u-
iversalis & ratione hominum, ut scilicet omne os
obstruatur &c. Rom. 3, 19. vel specialis ratione
electorum, ut ipsis sit paedagogus ad Christum.
Resp. Finis legis in statu innocentiae
est legis & Auctoris ipsius finis per se, pec-
catoris vero ad Christum adductio, quae lege fit
moralis, quam voluntas Dei antecedens ordina-
vit, planeque aequalis est, convenit post lapsum
legi per accidens. Quod Evangelium odor
mortis sit illis, qui pereunt, per accidens ra-
tione evangelii, non ratione ejus, cuius opus
est Evangelium, & quod Christus sit lapis of-
fendi-

fendiculi per accidens ratione sui, quatenus est Mediator, ac per se, ratione ejus, qui destinavit ipsum in hoc, unde dicatur positus in ruinam multorum, ut statuit *Maccovius*, in *Metaph.* negavit recte *Calovius*, in *Metaph.* divisiō *πορίσμ. 10. de causa & causato.* probavitque rationibus, quod *Maccovius*, & reliqui Deum pro causa & auctore peccati habeant. Est alius saepe finis de facto causae, quae utitur operre, & alius operis de jure. Finis Theologiae cultorum saepe non est perductio hominis peccatoris ad Deum, quae finis per se est Theologiae. Disputatur de fine, operi & coperanti communi, non proprio. Hinc recte dicit *Clericus, c. XI. Catalog. S. 3.* finem musici esse lucrum, non Musicae. Nam hic finis est proprius Musici. Ut sono animum recreare intendit Musica: ita ordinate idem quoque vult Musicus. Sic unus artis & artificis finis est. Cum opus finem ex sua natura intendit totum, operans inordinate ejus vult partem. Congregationis Christianorum in templo finis est Dei cultus, multi autem, speciatim Fanatici spernunt fidem & intendunt unice Dei amorem.

§. 9. Finis vel est proximus, Bonum
nempe, quatenus est ratio, ut se consequendi gratia causa, nullo alio interveniente fine, operetur. Eiusmodi finis est internus, & intermedius proximus, E. gr. Logicae finis proximus est mentis per notiones logicas directio;

B 2

Bapti-

Baptismi est regeneratio, & Fidei justificatio, non
sanctificatio; vel finis est remotus, bonum, qua-
tenus est ratio, ut se consequendi gratia causa,
acquisito alio fine, operetur. Ejusmodi est fi-
nis artium externus, intermedius remotus &
ultimus. Sic fines sunt remoti, nempe Logicae
melior veritatis perceptio; Verbi divini, justi-
ficatio, (sequitur enim illuminationem,) vita ae-
terna & Dei Gloria. Errant, qui finem Verbi di-
vini proximum putant voluntatis esse emenda-
tionem. Emendatio enim voluntatis supponit
justificationem, & haec fidem, fides vero rege-
nationem. Hinc verbi divini actio, qua e-
mendatur voluntas, fit alio fine acquisito.

§. 10. Finis vele est intermedius, qui
est bonum, quod sua bonitate ita est ratio, ut
se consequendi gratia causa, antequam ulti-
mum consequatur finem, operetur. Est que
duplex 1) intermedius ratione ordinis tantum.
Ejusmodi finis Theologiae est sanctimonia vi-
tae, quae ordine vita aeterna prior est. Qui-
dam vocant hunc finem non causalem, siqui-
dem nulla vitae aeternae causa est 2) interme-
dius & ordine, & ratione causalis influxus, qui
hujus gratia causalis & subordinatus recte no-
minatur, estque bonum, quod bonitate sua est
ratio, ut & se, & sua operatione ultimum finem
consequendi gratia causa operetur. Causalis
Theologiae finis intermedius est fides, quæ re-
lative justificat & salvat. Fidei hujus naturam
exponit Johannes c. 20. Haec scripta sunt, ait

Apo-

Apostolus, hoc est, causa egit. Finem operacionis causae indicat his verbis: ut credatis; influxum ejus causalem in finem ultimum probat his verbis: Et credentes vitam aeternam habeatis. Unius rei possunt esse fines plures intermedii, seu minus principales, subordinati & per accidens. Uel est ultimus, bonum nempe, quatenus est ratio, ut se, obtento fine intermedio, ad nullum alium finem ordinatum, consequendi gratia causa ultimato operetur. Hic finis est duplex, 1. in certo actionum genere ultimus. Sine causa negat Maresius, innotis ad distinct. Castanæi finis ultimi divisionem. Nam vita aeterna est finis Theologiae ultimus secundum quid. Visionem primi entis vocat finem cuiuslibet substantiae spiritualis ultimum Thomas Anglus, in Euclid. Metaph. Stoecbeid. l. propos. 31. & sentit, totam dispositionem naturae esse intrinsece ordinatam ad hoc, ut spiritus concupiscat visionem primi entis; nemini vero ex natura innotescit futura electorum visio. Per scripturam enim ultimo confert Deus homini vitam aeternam. 2. absolute & respectu omnium actionum ultimus, estque Dei gloria. Scholastici putant, esse Deum, Vid. Thomas, Part. I. q. 44. artic. 4. amicus, tom. 3. curs. Theol. disput. 2. sect. I. p. 13. Suarez, disput. 24. Metaph. p. 559. & alii, qui Deum vocant finem ultimum materialiter, vid. Gibbon. de Burgo in prim. 2. Thom. disput. 3. dub. 2. p. 32. Banaventura Baro vero Apolog. in

L. 2. Physic. Special. 7. act. 3. p. 217. negat, Deum esse proprie causam finalem, & statuit, Dei gloriam esse Dei & hominum finem. Est Deus finis ultimus objectivus absolute vero ultimus finis, cuius causa & Deus operatur, & creaturae omnes operari debent, est Dei gloria. Deus absolute perfectus non indiget nostris laudibus, fuit autem Dei gloria finis mundi, à Deo conditi. Finem decreti de mundo condendo negat Sturmius, qui, Gotts ait, *l. Cit. p. 80.* hat nach seinem blosßen Wolgefallen beschlossen die Welt und den Menschen zu schaffen, statuitque finem rerum creatarum, non tam sui, quam creaturarum causa, eumque dixit agnitionem & laudem Dei. A Sturmino dissentio ideo, quia & decreti divini illa est ratio, quae est operum divinorum finalis, & Deus potissimum suam amat Majestatem, hujusque necessario vult laudem. Finem universi corporei esse animas separatas, ex corporibus emergentes & causatas, arbitratur *Thomas Anglus, Stoeckelid.* propos. 13. p. 185. quia motus ipsorum non sint creabiles propter se, & per consequens non sint propter se. Ut procul dubio illi Spiritus animae sunt hominum: ita negatur recte, quod ex corporibus emergant, si hoc verbum eductionem ex materia significat, esset mundus, si Deus nullas animas effecisset, rationalis, ac motus corporum esset propter animas separatas. Improbanda quoque haec Thomas Angli est

scps

*Sententia: Mundus non est conditus propter eos
Spiritus, qui sine concursu corporum à Deo
sunt conditi. Animam enim Adami, imme-
diate à Deo conditam, finem fuisse corporis à
Deo compositi, nequit negari. Fine ultimo
complete acquisito cessat actio; qua iste finis
vel erat efficiendus, vel obtainendus, non au-
tem cessat actio, qua vel iste conservatur,
vel novus finis acquiritur. Vide Donati regu-
las, speciat. 29. Quando homo vitam aeter-
nam consequutus est, cessat omnis Spiritus S.,*
*qua salvat istum, operatio; sed non cessat in
regno Gratiae, ubi propter aliorum salutem
continuatur, ejus actio.*

*§. II. Finis vel est principalis, bo-
num scilicet, quatenus est ratio, ut secon-
sequendi gratia $\pi\varrho\tau\omega\varsigma$, seu primario, o-
peretur, vel minus principalis, qui est bonum,
quatenus est ratio, ut causa se consequendi
gratia secundario operetur. Finis principa-
lis Gratiae divinae est vita aeterna, principa-
lier Dei gloria, minus principalis sunt fines
secundarii speciatim Diaboli, hominum i-
nimici, confusio. Exponitur finis natura
& de jure principalis, & minus principalis,
qui finis est ordinatus, de facto saepe finis est
ex intentione causae principalis, qui de jure
debet esse minus principalis, quandoque nul-
lus, qui finis est in ordinatus. Multi tractant
primo Theologiam, non ut hominem pecca-
torem ad Deum adducant, sed ut se con-*

ser-

-1310

seruent. Non pauci Doctores componunt libros, non ut veritatem ac pietatem alios doceant, sed ut famam augeant. Dividitur quoque finis in adaequatum, seu totalem, estque bonum, quod ita est ratio, ut causa propter illud totum consequendum operetur; & in inadæquatum, estque bonum, quod ita est ratio, ut causa propter partem ejus consequendam operetur. Finis adaequatus Scripturæ exponitur 2. Timoth. 3. multi vero intendunt sua operatione tantum partem theticam, & non nullipartem aliam.

§. 12. Causa, quae serio vult finem, vult etiam de jure media, quae per se ac ordinarie ad finem consequendum faciunt. Alias idem simul vellet causa, & non vellet. Deus vult serio omnium hominum salutem. Matth. 23, 27. ideo ordinavit Gratia Dei universalis media salvandi universalia. Hoc recte opponitur Hypotheticis, qui Gratiam Dei universalem sub conditione impossibili statuunt. Christus est mortuus pro omnibus hominibus, & vocatio Spiritus S. est universalis. Multi sacre volunt, vel non serio theologiae habitum, ac negligunt media, quibus iste comparatur; vel volunt media, aut non ordinaria, immediatam scilicet inspirationem, aut quae non faciunt ad finem obtinendum, sive non sunt proportionata. Veram Theologiam sibi non comparant Fanatici, qui respunt libros & doctores, atque ex se sapienti-

entiam divinam p̄tēre conantur, item qui ex
adversariorum libris prima fidei dogmata ad-
discere student. Vera, de fine & mediis, sen-
tentia, opponitur recte fini creationis morali,
quem *Retorfort* in *disputat. de divina Provi-*
dent. p. 215. in se moralem obligationem ad of-
ficiū, à nobis praestandum, continere, ac à fi-
ne physico, à Deo nempe, ut iste loquitur, per
gratiam efficacem efficiendo, differre putavit.
Nam si finis creationis moralis requirit, ut Deo
inserviamus, ac vitam aeternam consequamur,
non potest ista obligatio esse sine mediis, ad
consequendum finem necessariis, ac à gratia
Dei efficace ordinatis.

§. 13. Medium, generatim sic di-
ctum, est omne id, quo res finem suum conse-
quitur. Ursus nominis medii varius & multiplex
exponitur p. 637. nunc consideramus medium,
quatenus est id, quo res finem suū consequitur.
Hinc ad medium requiritur 1. ut sit possibile in
se, & ratione acquisitionis, alias non potest illo
obtineri finis. Est autem aliquid vel in se im-
possible, sive ut sit, sive ut in certo subjecto sit.
Sic lapis non potest rerum divinarum intelli-
gentiam consequi, quia medium, nempe in-
tellectus, ipsi nequit convenire; vel est impos-
sibile per accidens: ita obedientia, quam Deo
debemus, non est, imagine amissa, possibile vi-
tam aeternam acquirendi medium. 2. Ut sit
proportionatum, ut illo finis possit obtineri.
Eiusmodi proportio est aut naturalis, & haec

C

vel

vel originalis, sic oculus est medium proportionatum, quo animus format conceptum arboris objectivum; vel accessoria, speciatim artificialis, qua omnia instrumenta, arte facta, habent proportionem ad finem consequendum; aut est supernaturalis. E. gr. Sacraenta sunt media salutis, quorum proportio non est naturalis, sed supernaturalis. Signum proportionatum est vel adaequatum, quod nempe ad finem consequendum sufficit solum, serra scilicet est medium proportionatum ac adaequatum fabri lignarii, quo scindit & dividit ligna; vel est inadæquatum, quod quidem proportionatum est, at solum ad finem consequendum non sufficit. Securis est medium architecti proportionatum inadæquatum, quia sola ad totum aedificium conficiendum non sufficit. Mediis, qua talibus, seu quatenus ad finem obtainendum ordinata sunt, est finis primarius, cuius causa illa appetuntur, præstantior. Vid. Slevogt. disput. p. 675. Pasch. Metaph. p. 406. Et Veltbemii Metaph. axiom. p. 155.

§. 14. Medium est 1. directivum, quod rem ita dirigit, ut finem suum feliciter consequatur, estque vel internum, quod in re est dirigenda, ut idea, secundum quam aliquid debet fieri; vel externum, quod extra rem, quae finem appetit, reperitur, ut signum, mensura, & norma, quae extra illam rem sunt posita. 2. Operativum, quo res, finis cupidissima,

ma,

ma, operatur, quod fit a) finem obtinendo, estque vel exhibitivum, sive δοτικὸν, quo res obtinenda alicui offertur, (Theologi dicunt media δοτικὰ Verbum & sacramenta) sive ληπτικὸν, seu apprehensivum, quo res oblata apprehenditur. Hoc operatur aut absolute spectatum actione propria, sic canis lingua sua attrahit ad se & apprehendit aquam; aut ut relativum, & operatur per relatum, quomodo fides est medium, quod relata meriti Christi actione justificat. b) Finem efficiendo. Media operativa, & speciatim efficientia sunt instrumenta mechanica. c) Finem conservando. Fides est medium, & Christum recipiens, & justificationem conservans. 3. Nudum, de quo vide antecedentia. Media, quae Metaphysica speciatim exponit, sunt Signum, Norma, & Mensura.

Thes. II.

Signum est causae medium,
potentiae ejus cognoscenti si-
gnatum, causae finem,
repraesentans.

Ἐκθετικόν.

§. I. Σημεῖον, seu signum, describitur, non quatenus est prodigium ac miraculum, vel verum Joh. 20,30. vel apparet Matt. 24, 24. vide Flacii Clavem Scripturae, pag.

980.5 pag. 1166. nec signum mathematicum, in
Zodiaco, sed illud, quod causae est medium.

§. 2. Conceptus signi communis
proximus non est 1. ens relativum, ut sentiunt
Ebelius, in *Aphorism. metaph. p. 592.* *Rudrauf-*
fius, in *Institut. metaph. c. 8. p. 558.* & caeteri,
quoniam relativum, cuius quasi species medi-
um est, non proxime, sed remote, naturam si-
gni ingreditur. 2. ens, quo *Veltbemius*, in *Instit.*
metaph. c. 49. § 3. signum primarium recte descri-
bi existimavit. Nam conceptus ille est latissi-
mus, & signa, quae laudatus Auctor vocat se-
cundaria, nempe tenebrae, quae vespertino
sunt tempore, sunt signa noctis, ac media il-
lam & cognoscendi, ac distinguendi à lumine.
3. attributum entis disjunctum secundarium,
vid. *Pascuae Metaph. thetic. c. 21. p. 763.* Multa
dantur signa, quorum, qua talium, natura neque
causa virtualis, neque realis est. Non caret
signum omni conceptu communi. Hinc non
recte ita describitur: Signum est, quod po-
tentiae cognoscenti aliquid repraesentat.
Leg. *Graffi Philosoph. primam, c. 24.* sed 4. est
medium causae, quod signo, mensurae, normae
& aliis essentialiter convenit. Signum natura
medium esse, probat actio ejus formalis, quae
est signati repraesentatio. Hanc signi natu-
ram, quatenus generatim medium causae est,
exponit *Metaphysica*, & quatenus speciatim
medium est scibilia recte capiendi, explicat il-
lam Gnostologia. Ita debent exponi P. II. c. 1. tb.

z.ver-

i. verba ultima. Quod in actu exercito ad varias disciplinas spectare possit, exemplis probavit *Scheiblerus*, lib. i. Metaph. c. 24 p. 357. Conceptus primo proprius consistit in representatione signati, quatenus causae finis est. Hinc duo requirit signum, & respectum a) ad signatum. Ubi nulla signi a) signati est connexio, ibi nec datur signum, nec reperitur signatum. Nulla erat operum Magorum ac divinae potentiae connexio. Ideo non erant certa veri, quem Pharaon coelebat, Dei argumenta, b) ad cognoscentem causae potentiam. Habet enim aptitudinem, qua potest capi, ac signatum cognoscenti facultati notum reddere. β) Repräsentationem signati, quam vocant potentiale, hoc est, vim & potentiam repräsentandi, ad signum constituendum sufficere putant *Ebelius*, *Rudrauffius*, & reliqui. Existimo, repräsentationem signi, qua talis, semper esse actu, perceptionem autem repräsentationis & cognitionem signati non esse semper actualem. Fumus repräsentat semper ignis naturā, quam neque signum attendat homo, qui dormit, neque signatum percipiat. Facultas cognoscendi, cui signum abstractum signatum repräsentat, est ab intellectu & sensu praecisa, & utriq; communis. Haec signi natura non potest in actu signato tractari, vel in Logica, vid. *Franc. Ouid. in curs. Philos. Controv. Logic. p. m. Arriag. in curs. Philos. L. 6. diss. 13. p. 213.* & alii. Logica enim exponit tantum notiones secundas

Logicas, non media causarum, vel in Theologia, quod Lombardum & Thomam statuisse, sentit Rudrauff. p. 559. *Instit. metaph.* Scholastici loquuntur, non de natura signi abstracta, sed de signis determinatis, speciatim de Sacramento. Vid. *Thomas Part. 3. q. 60. p. 124.* *Vasquez. in Comment. in 3. part. Thomae tom. 2. disp. 128. p. 180.* et reliqui. Theologia explicat signa, quae speciatim ejus sunt media, & idcirco causae determinatae; vel in Gnostologia, quae tantum tradit signa, quibus homo unice utitur, ut illorum ope intelligat. Verum disciplina, quae causae abstractae finem exponit, tractat etiam in actu signato media, quibus quaelibet causa, virtute cognoscendi praedita, finem consequi conatur.

§. 3. Signum dividitur in 1. necessarium, quod medium est, quod non potest non signatum facultati representare cognoscenti. Baptismus & Cœna dominica representant sua signata necessario, & sumus necessitate physica representat cognoscenti ignem. 2. Contingens, quod signatum facultati cognoscenti potest etiam non representare, estque signum, vel necessario nexu cum signato non copulatum, e. gr. externa pietas, signum fidei & justificationis, vel speciatim arbitrarium, quod libera voluntate constitutum est, ac vi ejus signatum representat. Exempla sistunt signa divina, ut iris signum Gratiae & foederis; signa humana,

mana, speciatim ecclesiastica, ut faces ardentes, quibus in nonnullis locis Cœnæ, à Christo institutæ, indicatur tempus; item civilia, e.g. testamentum, annulus aureus, traditus fœminæ, signum desponsationis, risus lactitiae.

§. 4. Utrumque signum est 1. supernaturale, quod medium est causæ, quod ordinem transcendit naturæ, & signatū supernaturale, causæ finem, potentiae ejus repraesentat cognoscenti. Ejusmodi signa sunt sacramenta. 2. naturale, quod est medium causæ, secundum naturæ ordinem, ac vi suæ naturæ, signatum naturale facultati ejus repraesentans cognoscenti. Ejusmodi signa sunt effectus, antecedentia & consequentia, quae secundum naturæ fiunt ordinem. Sic fumus est signum ignis, & cœlum, nubibus tectum, est signum pluviae. 3. praeternaturale, estque medium causæ, quod prater naturæ ordinem signatum praeternaturale potentiae ejus cognoscenti repraesentat. Ejusmodi signa sunt morborum, quae attendunt Medici.

§. 5. Signum, in explicata inferiora divisum, est I. Nudum, seu Theoreticum, quod medium est, signatum potentiae cognoscenti tantum repraesentans, estque vel materiale, seu mediatum, quod à facultate cognoscente prius, qua tale, cognoscendum est, antequam signatum, quod repraesentat, cognoscatur. Nisi aurum metal-

lum

lum purissimum mente percipiatur , non
potest fidei natura , illo representata , co-
gnosci. Qui nescit insignia Regum ac Prin-
cipum , existis non cognoscit exercitus , qui
illis representantur distinctos ac determina-
tos ; vel formale , & immediatum , quod , abs-
que praevia sui notitia , ita representat facul-
tati cognoscenti immediate signatum , ut pri-
ma ejus operatione percipiatur. Eiusmodi
signa sunt species intelligibiles , & sensibiles.
Utrumque signum aut est infallibile , quod
Graeci dicunt *κοιτήριον* , *τεχμήριον* , & *γνω-
σίσμα* , estque medium , quod signati re-
presentatione certam ejus gignit notitiam .
Hoc dividitur in divinum aut necessarium.
Scriptura sacra est signum infallibile , (non ta-
men nudum ,) quatenus gignit notitiam volun-
tatis beneplaciti certam & infallibilem , omniq;
demonstrazione maiorem ; aut probabile , quod
sua representatione notitiam gignit probabi-
lem , estque signum contingens , quod non
est divinum .. Utrumque signum dividitur
in i. notificans , quod potentiae cognoscenti
ignotum reddit notum , estque vel internum
a) supernaturale , quod intrinsecus , & modo
supernaturali aliquid revelat , ut sermo inter-
nus & divinus , item ideae ac figurae , divinitus
in animis hominum formatae ; b) naturale , ut
idea , figura , conceptus , quorum causa est
res finita & naturalis . c) praeter naturale ,
e.gr. imagines , figurae , a Diabolo intrinsecus
in

in hominē repraesentatae ; vel externum α) supernaturale, quidam speciatim typi, figurae, & reliqua. β) naturale , tam physicum, ut vox, qua ignotum tantum manifestatur, tam artificiale , figurae nimirum & imagines Ægyptiorum , quibus alios Theologiam docebant mysticam, γ) praeter naturale. Exempla sistunt Theologi signa obsessionis corporalis. Vid. Kœnig. de illa obsessione §. 232. Signum notificans, tam internum, quam externum, dividitur in a) demonstrativum , quod praesentia potentiae cognoscenti sua representatione notificat. Motus, qui fit à Spiritu S. internus est signum supernaturale internum, & demonstrativum operationis Spiritus S. internae ; columba erat olim signum externum, quo Spiritus S. praesentia indicabatur Johanni, Christo Baptismum conferenti, Matth. 3. Corinthii, viva Pauli epistola dicuntur à Thedoroto & Chrysostomo signum officii ejus demonstrativum. Inspiratio linguarum peregrinarum est signum internum praeter naturale , ex quo obsessus Diaboli cognoscit praesentiam, & corpus spectri assumtum est signum praesentiae ejus externum. Intellatio est signum internum demonstrativum, & naturale animae , signum ejus externum est disputatio. b) Prognosticum , quod est medium , potentiae cognoscenti futurum, quod repraesentat, notificans. Dicuntur typi vet. Testam., quia signa fuerunt prognostica, um-

D

brae

brae rerum futurorum , Coloss. 2, 17. Signa
judicii ext^{remi}, ac ultimi Christi adventus
prognostica, recenset Christus, Matth. 24. Si-
gna prognostica naturalia sunt signa futurae
sanitatis, futurae tempestatis, futurae erudi-
tionis, & reliqua. Praeternaturalia sunt signa
morborum, & futurae mortis. c) Memo-
rans, seu memorativum, quod est medium, sua
repraesentatione praeterita facultati cogno-
scenti notificans. Crux non erat tantum olim
signum notificans, ac speciatim demonstrati-
vum, quod indicabat Christianum, verum et-
iam memorans. Christiani enim, qui intu-
ebantur crucem, vocabant in memoriam Chri-
sti passionem, mortem, & redemptionem ge-
neris humani. Ejusmodi signa quoque sunt
mausolea, epitaphia, monumenta, nummi,
& alia, quae notas reddunt res praeteritas.
2. Commonefaciens, quod medium est, rem
cognitam in memoriam revocans, graece
 $\mu\nu\eta\mu\sigma uov.$ Ejusmodi signa erant olim sim-
briae legis memorativa. Vid. *Sig. de Republ.*
Ebraeor. l. 5. c. 11. 3. Obsignans, quod est medi-
um, quo cognitum confirmatur, e. gr. sigillum,
graece $\varphi\epsilon\alpha\gamma\lambda\varsigma$, annulus aureus, sponsae datus,
signum militare, chirographum, quo debiti
notitia confirmatur. II. Practicum, medium
nempe, quod & signatum facultati cogno-
scenti repraesentat, & per se operatur. Si-
gnum, quod est practicum, differt à theore-
tico operatione, sibi per se conveniente. Oc-
casio-

casionaliter & per accidens operatur quandoque signum theoreticum, non autem per se, quod signi practici est officium.

§. 6. Signum practicum est 1. directivum, 2. exhibitivum, graece μεταδοτικὸν, διαδοτικὸν, & προσφερόμενον, 3. confirmativum, & 4. speciatim effectivum.

§. 7. Signum directivum est medium, quo causa, dum repraesentat signatum, in operando dirigitur, ut signatum consequatur. Estque signum 1. rei obtainenda. **A**cus nautica non tantum repraesentat nautae locum, in quo reperitur navis, verum etiam dirigit totam in Oceano navigandi artem, ad ducit nautam ad suum, quem petit, locum, & stella, quam videbant Magi, repraesentabat novum Iudeorum regem, & ducebat istos ad regionem, & tandem ad domum, in qua natus reperiebatur Messias, 2. rei efficienda, quam sibi similem repraesentat, estque exemplar, quod est signum à causa, signatum formae istius, qua illud repraesentatur, simile producente, imitandum. Exemplar vocant causam, & speciatim formam **Conimbricenses**, l. 2. **P**hysic. c. 7. q. 4. p. 249. **A**lbertus, **Ægidius**, **Ca-jetanus**, & alii, ab illis allegati; plurimi dicunt illud causam efficientem, **A**lensis, **Bonaventura**, **Scotus**, **Hervaeus**, citati à **Suarezio**, qui illorum opinionem disp. 25. Sect. 2. n. 8. p. 572. approbat, **Veltbemius** in **Institut. Metaphys.** part. poster. c. 51. p. 1883. seq. & alii. **Philippus**

à Sanct. Trinitate, prim. secund. Summae Philosoph. q. 8. artic. 2. p. 493. arbitratur, causam exemplarem pertinere vel ad causam efficiensem, vel ad finalem, vel formalem extrinsecam. Exemplar non est 1. reiforma, vel interna, quia rei naturam non ingreditur. Idea, aedificii exemplar, mente concepta, non ingreditur aedificii naturam; vel externa, ut Rudrauffius in Institut. Metaph. c. 6. thes 2. p. 516. & Musaeus in Institut. Metaph. c. 23. §. 6. pag. 402. (sed hic loquitur de forma improprie sic dicta) sentiunt. Nam forma externa est in re ipsa, & speciatim ejus figura; exemplar autem est realiter, & saepe localiter, à suo signato separatum; Formae ad quam, (ad cuius, ut illam verbis exposuit Gonetus P. 1. Clyp. disp. 7. artic. 1. p. 362. similitudinem effectus producit) nullus inter causas datur locus. Non est 2. Materia, quia non est pars signati intrinseca, quae formam recipit, ac illud constituit; non 3. finis. Non est bonum, quatenus est ratio, ut se consequendi causa operetur, sed exemplar est medium, quo finem causa consequitur. non 4. causa efficiens, quia effectum nec principaliter, nec minus principaliter, vel immediate, vel mediate, producit. Conimbricenses, exemplar rei formam esse probaturi, dicunt: (a) Artifex respicit ad exemplar, illudque imitando exprimit, atque ita exemplar catenus causare dicitur,

qua-

*quatenus passiva imitatione certam formam in-
dit rei, arte factae, illumque exemplaris influxum tribuunt causae formalis extrinsecae.*
Resp. Formam non imprimit exemplar, sed causa efficiens, quae exemplar imitatur. b)
Exemplar, objectiva forma, differt à forma secundum specialem causandi modum. Forma intelligibilis sua natura praedit causalitatem formae informantis, & est prototypa ratio essentiae rei, cuius exemplar est. Resp. Forma objectiva, quae non est forma informans, sed tantum exemplar, dicitur improprie forma, cui nec vera convenit causalitas, nec specialis causalitatis modus. Forma intelligibilis, formae informantis exemplar, est quidem illa prior, non autem istius causa formalis. *Suarzius, & alii, qui exemplar causam efficiensem esse putant, tribuunt actionem exemplari, directionem nempe & determinacionem agentis.* Resp. Dirigit exemplar non influxu causali, sed directione, quae à norma fieri solet. Causa signati vel determinat se ipsam, ac sua sponte seligit exemplar, & secundum ejus dispositionem & formam producit illud, vel determinatur ab alia, à qua dependet, causa, minime autem à virtute exemplaris. 3) *Exemplar est principium efficiendi.* Resp. Non omne principium est causa; exemplar est principium, non autem causa efficiens.
γ) *Quomodo se habet forma physica ad efficiendum*

*fectum naturalem ; ita se habet forma intel-
ligibilis, qualis est exemplar, ad artefactum...
Forma vero physica est causa effectus efficiens.
E. forma intelligibilis est causa efficiens arte-
facti. Resp. Alia est ratio formae physicae,
effectum producentis, & alia est conditio i-
deae, quae artefactum non efficit, sed est ex-
emplar, quod imitatur artifex. δ) Quomo-
do se habet sigillum ad figuram : ita se
habet exemplar ad artefactum. Resp. Sigil-
lum imprimit suam figuram materiae ; ex-
emplar autem non exprimit se. Voco exem-
plar signum, ideoque medium, minime au-
tem causam. Exemplar, ut signum, respi-
cit & causam efficientem, quae illud debet i-
mitari, & signatum, cui est simile, sua forma
repraesentat.*

§. 8. Exemplar datur internum,
quod signum est in facultate cognoscente
intrinsecum & à causa, signatum istius
formae, qua repraesentatur, simile produ-
cente, imitandum. Hoc exemplar non est
signum nudum, seu theoreticum, sed, quia
causa, quae signatum, illi simile, vult producere,
istud imitatur, practicum. Exemplar, in fa-
cultate cognoscente formatum, non est con-
ceptus objectivus, vel rei ejusdem, per artem
efficiendae, ut *Scotus*, *Dunandus*, *Ockam*, *Ga-
briel*, & alii, à *Suarezio* diss. 25. metaph. Sect.
1. p. 505. & à *Ruizio* L. cit. diss. 82. Sect. 1. p. 849.
allegati, statuunt. Si enim conceptus obje-
ctivus

Etivus esset exemplar, id, quod causa deberet
imitari, non esset conceptus, qui rei cognoscendae unice esset medium, sed objectum,
sive res, quae animo concipitur, qua nascitur idea, quam causa imitatur. Hinc causa, non tantum similem objecto effe-
ctum, sed idem quoque productura, aut in-
tueretur rem, actu existentem, quae rei ejus-
dem qua identitatem efficienda non potest
esse signum. Esset enim alias res, quia exi-
steret, & non esset, quia esset efficienda; aut
deberet re dirigi absente, eamque imitari.
Rem autem absentem absque idea non potest
concipere causa finita, & quia ideam actione-
sua deberet exprimere, non esset conceptus
rei efficiendae objectivus, sed formalis, seu
idea, vel rei efficiendae, vel rei alterius, exem-
plar, ad cuius imitationem alia res facienda
esset. Opinionem, quam oppugnamus, mul-
tos Pontificios amplecti, testatur *Suarez. l.c.*
Exemplar intrinsecum non est extrinsecum,
conceptus autem Petri objectivus picturæ,
quae representat Petrum, non est exemplar,
quia non conceptus, qui est medium Petrum
representandi, sed objectum, nempe Petrus,
est exemplar, ideoque non intrinsecum, sed ex-
trinsecum. Exemplar intrinsecum est rei con-
ceptæ idea, seu conceptus rei formalis, quæ
causa de re efficienda formavit. Auctores,
qui hanc approbant sententiam, allegavit *Sua-
rez l.c.* Ejusmodi idea est signum, quod in fa-
cultate

cultate cognoscente est intrinsecus rei efficiendae simile , quod debet causa , quae rem illi ideae vult producere similem, imitari. Exemplar, proprie sic dictum, non est in Deo, qui sine ideis res comprehendit omnes, & absque forma , quae finitae cognoscendi facultatis norma est, operatur, effectusque producit. Hinc non approbo verba Ruizii, qui *Disput. 81. Sect. 3. de Scientia, Ideis, Veritate, ac Vita Dei, p. 846.* dicit: *Idea non est simpliciter requisita, ut sit speculativae cognitionis principium: est autem requisita, ut sit principium cognitionis practicae, quae possit opus dirigere ad imitationem ideae.* Nihil imperfecti in se continere putat ideam *Gregorius de Valentia 1. quaest. 15. artic. 1. pnnct. 1.* his verbis explicatam: *Idea, inquit, potest dici ipsa rei facienda cognitio, quatenus est rei facienda conformis, atque adeo quodammodo similis secundum quendam hunc peculiarem ordinem ad rem.* Idea, si ipsa est cognitio, non est exemplar. Non enim cognitioni , quae actus est intellectus, conformis est res facienda, sed cognitionis objecto, vel rei cognitae ideae.

— (O) —

Coll. diss. A. 108, Musc. 46